



Tom III  
Mijakaneop Philoby.

*[Faint, illegible handwritten scribble]*



OBSERVATIONUM,

Quæ ad Græcam literaturam spectant,

PENTASUNA;

*publicæ Disputationi*

à

NE ERICO OSTER-

Liter: Prof. Publico,

P R Æ S I D E,

&

M. JOHANNÉ MEISNERO,

Torgensi,

RESPONDENTE.

*Habebitur cum bono DEO*

WITTENBERGÆ

*In Auditorio Majori*

*ad d. 23. Decembr.*

A.

M DC XL.

---

Ex Officinâ Typographicâ MICHAELIS Wendt.



PRUDENTIS  
SULTISSIMIS. CL.  
RIS. ARARI. REI  
PECTI  
TROT

D.

*M. Johannes Meisnerus.*

M DC XL

Ex Offina Typographica Michaelis Meisneri



# OBSERVATIONUM,

Quæ ad Græcam literaturam

spectant,

P R I M A.



Græcam literaturam à Grammaticâ ordimur. Grammaticam autem intelligo, non quæ primas easque elementarias literas edisserit, quam vel in viâ obvijs saxis insidentes solitos veteres profiteri, tùm patet ex illo Arati Epigrammatarij, quod apud Byzantinum Stephanum in De Urbibus sic legitur, voce Γάργαρα,

Ατάζω ὅτι μὲν ἐνὶ πέτρῃσι κάθηται,

Παισὶ γάργαραίων βῆτα καὶ ἄλφα λέγων:

id quod in Diotimum quendam periscriptum nosita vertendum existimavimus:

*Maceror, in saxi quòd robore confidet unius,*

*Gargarium pueros Betaq; & Alpha docens:*

tùm plenius ostendit Dio Chrystostomus Oratione περὶ λόγου ἀσκήσεως, cùm οἱ τῶν γραμμάτων διδάσκαλοι, inquit, μετὰ τῶν παιδῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς κάθηται, καὶ εἶδεν αὐτοῖς ἐμποδῶν εἶναι ἐν τοσούτῳ πλήθει τὸ διδάσκειν τε καὶ μάνασθαι: hoc est, *Literarum magistri cū pueris in viis sedent, & nequicquam illos impedit in tantâ turbâ docere pariter & discere:* sed eam, quam πλειότερον appellat Philo Judæus, in περὶ τῆς εἰς τὰ περὶ παιδῶν μαθήματα συνόδου; cujus officia complexus Diomedes est libro II. his verbis: *Tota Grammatica consistit propriè in intellectu Poetarum, Scriptorum, & Historiarum promptâ expositione, & in rectè loquendi scribendiq; ratione.*

S E C U N D A.

Illā γραμματικὴν dicta Græcis, ut ex Martiani Capellæ tertio de Nuptijs Philologiæ & Mercurii libro

A 2

constat:

2 constat : literatura rudis , & artis Grammaticæ quasi quædam infantia. Cujus munus ex Tertulliano in de Pallio accipimus, edomare vocem, & manum ad scriptionem & computationem fingere. Eam qui tradiderunt, *γραμματισταί*, sive *Grammatistæ* appellati Suida, Galeno, Dioni item Xiphilino ac Suetonio. At verò, cum eosdem pueritiæ in Judaicâ gente, dum sub Mose ageret, præfectos, per GRAMMATOISAGOGES designari censet magnus Augustinus, veniam illustris Pater meretur. Cui Græca vox *γραμματῶσις αγωγῆς* imposuit. Sunt ejus de Civitate Dei libro XVIII. cap. XXXIX. verba ista: *Moses in populo Dei constituit, qui docendis literis præessent, priusquam divinæ Legis ulla literas nossent. Hos appellat Scriptura Grammatoisagoges, qui Latine dici possunt literarum inductores, eò quod eas inducant vel introducant in corda discipulorum.* Legitur apud LXX. Interpretes, qui vocem Ebræam *שוטרים* *γραμματῶσις αγωγῆς* reddiderunt Deut. I. cap. vers. XV. & XVI. v. XVIII. & XXIX. v. X. & XXXI. v. XXII. Accepit Græcum vocabulum Sanctus Pater pro eo, quod sonat, cum primâ fronte intuearis. *γραμματῶσις αγωγῆς* enim *literæ, αγωγῆς* *inductores.* Quò etiam respexisse mihi videtur Versionis Latinæ veteris auctor, qui nunc *Magistros* vertit illis locis, quos dicebamus, nunc *Doctores*, alibi, *qui docerent vos singula.* Cæterùm, cum Ebrææ pariter ac Græcæ vocis vim accuratè inspicimus, nihil ejus, & longè diversum potius in allegatis locis deprehendimus. Erat dignitas quædam ac præfectura in prisco Judæorum populo, cui qui præessent, *שוטרים* dicti sunt. Illorum fuisse, ut cum *שופטים*, quibus additi, civitates moderarentur, curatores publicorum negotiorum, omniumque ordinatores & indices, quæ facienda o-

mitten-

3

mittendave essent, penes quos plecendi sumendiq̄ue  
supplicia stetit summa potestas, luculenter sacrae literae  
nobis confirmant. Certè magnam in pace ac bello  
eorum fuisse auctoritatem, ex Deut. XVI. XX. & XXXI.  
itemq̄; 2. Paral. XIX. capitibus revincitur, quicquid e-  
riam ex Iarchio alijsq̄ue Ebræorum Rabbinijs placeat  
nonnemi, qui כופתין במקל וברצועה ut ipsi loquuntur,  
hoc est, *lictōres cum virgâ & flagello* שוטרים illos descri-  
bunt. Rectè enim accipi ista debent. Chaldaeus  
Paraphrastes quoque, cum שוטרים *fermè* semper  
סרכין vertit, *dominatum* quendam, qui & in Chaldai-  
co שטר cernitur, innuit, ac praefecturam, sed talem  
eam tamen, opinamur, quæ cum executione sit con-  
juncta, ut eruditè Orientis callentissimus Mercerus  
ad Pagnini Lexicon observat. Certum enim est, hanc  
esse legitimam verbi שטר significationem. Quod  
clarissimè Aben Esra ostendit, cujus ad caput XVI.  
Deuteronomij sunt ista: שוטרים הם המושלים *Scho-*  
*trim*, inquit, *dominatores sunt*: sed quale illud domini-  
um? ישפוט השופט יכריח המענות id est, *Scho-*  
*phet judicat, Schoter exequitur responsa*, adeoque contu-  
maces, ut C. Bertramus rectè שטר intelligit alibi,  
in ordinem cogit. Quare eodem Deuteronomij lo-  
co Thargū פורענין hoc est, *vindices*, pro שוטרים habet.  
Nihil ergo de puerilibus elementis vocabulo inest, &  
ipso Schotrim, si *publici juris ministros* cum Paulo Fagio  
Annotationibus ad primum in Deuteronomium Mo-  
saicum Paraphraseos Chaldaicæ caput, ubi & Levi-  
tas fuisse Schotrim illos ex Ebræorum quorundam  
mente ostendit, & quicquid aliud denique quàm lite-  
rarios magistros appelles, vero haudquaquam aber-  
rare videaris. Nunc autem Praefectos illos foro desti-  
natos, dispiciendum, ecquâ ratione γεγραμμενοι γαγγεις  
dicere

4 dicere δὲ LXX. ausi. Inter reliquas κατηγοριῶν species, quæ apud Athenienses agitari solitæ, αἱ γραφαί erant, & latissimè omnium patebant. Eas itaque, quemadmodum & δίκας sive accusationes & causas in univ-  
sum, qui ad Judices introducerent (cujus generis con-  
stituti erant, qui id facerent) εἰσάγειν τὰς γραφάς, & ipsi  
introducatores, quorum de re notio erat, εἰσαγωγεῖς τῶν  
γραφῶν dicebantur. Unde εἰσαγωγήμῳ δίκη, hoc est,  
cùm judicium, ut Cicero loquitur, rectè constitutum  
esset, datâ rei actione. Quam sequebatur ἑπομωσία &  
ἀντιγραφὴ & ἀντίληξις, de quibus alterius loci est agere,  
& videri potest Vbbo Emmius in De Republicâ Athe-  
nensium, qui eruditè illa complexus. Ipse Romanus  
Cæsar quoque, primo Belli Civilis libro ita planè lo-  
quutus: *Quascunq̄, inquit, controversias inter se milites  
habuerunt, suâ sponte ad Cæsarem introduxerunt.* Et in-  
ducere pro εἰσάγειν eodem sensu positum Plinio, Gui-  
lielmus Budæus doctissimis Græcæ Linguæ Commen-  
tariis observat. Quale illud, quod ex libro VI. Epi-  
stolarum Plinianarum affert: *Tertio die inducta cognitio  
est Julij Tyronis: codicilli quos ex parte veros esse consta-  
bat, ex parte falsi dicebantur.* Jam qui γραφῶν εἰσα-  
γωγεῖς Atheniensibus, illi ὕφεν ΓΡΑΜΜΑΤΟΕΙΣΑ-  
ΓΩΓΕΙΣ, hoc est, γραμμάτων εἰσαγωγεῖς LXX. Senibus  
nuncupati. Γράμμα igitur pro γραφὴ positum. Fa-  
cilè equidem ex verbi γράφειν significatione, in quâ  
toties apud Demosthenem occurrit. Non minus e-  
nim, quàm κλητῆρες, μάγιστρος, δίκαι, κληρωτήρια, κλέ-  
ψυδραι, νόμοι, γραφαί, vocabula singula forensia sunt,  
quæ apud Athenæum Eubulus, lepidissimus Poeta,  
cùm laudantis specie agrè facere Atheniensibus vel-  
let, quorum τὸ Φιλόδικον acriter insectatur, in versus i-  
stos conjunxit,

Εἰ τὰ



Ἐν ταῖς γὰρ αὐτῶ πάνθ' ὁμῶς πωλήσειαι,  
 Ἐν ταῖς Ἀθήναις οὖν ἀκλιτῆρες βότρες,  
 Γογυλίδες, ἄπιοι, μῆλα, μάρτυρες, εἴδα,  
 Μέσπιλα, χόρια, χαδόνες, ἐρέβινθοι, δίκαι,  
 Πυός, πυρεΐατε, μύρτα, κληρωτήρια,  
 Τάκινθον, ἄρνες, κλέψυδρα, νόμοι, γραφαί

in quorum altero legendum ἔχει κλητῆρες, in quinto  
 πύον, πυρεΐατες, accuratissimè, ut propè unus omnium,  
 solet, ὁ πᾶν Casaubonus censeret: etiam γράμμα ad fo-  
 rum spectat. Julius Pollux libro VIII. cap. VI. καὶ ἔστι  
 πρὸς τὴν γραφὴν τὸ τὸ φέρον γράμμα, ἀντιγραφή.  
 Non veretur, quod ἀντιγραφή proprie est, per γράμ-  
 μα describere, sed τὸ φέρον. At verò γράμματα  
 inter cætera, etiam acta tabulasque publicas signifi-  
 care, jam pridem Budæus Commentarijs suis demonstra-  
 vit. Schotrim ergò γραμματοεισαγωγῆς, hoc est, li-  
 tium notores, qui causas inducerent. Neque e-  
 nim video causam, quare inter reliquas τῶν  
 πρώτων partes, illas ipsas etiam recensere non liceat.  
 Quam in rem plura adijci possent, nisi conflictui ista  
 reservaremus. Quod autem initidò dixi, Augustinum  
 excusabunt illa, quæ Divus Pater libro secundo Qua-  
 stionum super Exodum reliquit scripta: *Quas autem di-  
 cat γραμματοεισαγωγῆς, inquit, post decuriones, nō facile sciri  
 potest, quoniam hoc nomen in nullo usu habemus vel officio-  
 rum, vel magisteriorum. Nam quidam doctores interpreta-  
 ti sunt, ut intelligantur utiq; literati, qui introducant in li-  
 teras, sicut resonat Græcum vocabulum.* Unde cunctan-  
 tem ac per hæsitacionem scripsisse, quæ ex libris de  
 Civitate Dei supraattulimus, colligere admodum est  
 in proclivi.

**TERTIA.**

Cæterùm Grammaticam, quam ex Philone  
 πλειότεραν diximus, non ὡς τὰ γράμματα, hoc est, ab ele-  
 mentis primis, sed ἀ scriptis ipsis ac artium doctrinā  
 accepisse nomen Sextus Empiricus libro I. adversus  
 Mathematicos capite II. ostendit ex quodam Calli-  
 machi Epigrammate, quod inter ejus cætera deest, &  
 ita habet:

Κρεοφύλα πόντος εἰμι, δόμῳ ποτὲ θεῖον ἀοιδόν  
 δεξαμένῃ: κλαίω δ' Ἐυρυλον ὅσσ' ἔπαθεν,  
 καὶ ξανθὴν Ἰολεῖαν: Ὀμήρῃ τῶν δὲ καλῶμαι  
 γράμμα, Κρεοφύλα, ζῶ φίλε, τῆτο μέγα.

Quæ miror, Gentianum Hervetum Aurelium,  
 Virum alioquin Græcè doctissimum, tam malè vertis-  
 se, ut versio propè videri non queat, & mentem car-  
 minis involvat potius, quàm expediat. Sic enim red-  
 didit:

Creophili, cecini quo pulchro carmine cursum,  
 En opus, & canto quæ Eurytus ille tulit.  
 Et flavam Jolæen, & Homericam litera dicor.  
 Creophili magnum ô Jupiter hoc opus est.

Sed videtur pererudito Viro errandi ansam præbu-  
 isse depravatissima scriptio Epigrammatis apud Sex-  
 tum. Quam nos quidem ex luculentis Eustathij Thes-  
 salonicensium Episcopi notis, quibus universam Ho-  
 meri Poesin illustravit, emendandam duximus, ad ni-  
 torem, ut speramus, pristinum suum, ac planè nati-  
 vum. Sic ille autem ad Iliad. β. principium Epigram-  
 matis expressit: Τῆ σαμῆς πόντος εἰμι, δόμῳ ποτὲ θεῖον Ὀ-  
 μηροῦ δεξαμένῃ: calcem verò sic: Ὀμήρειον δὲ καλῶμαι  
 γράμμα. κρεοφύλω, ζῶ φίλε, τῆτο μέγα. Inde igitur apud  
 Sextum pro κρεοφύλα in versu primo scribendum,  
 Τῆ Σαμῆς: tum quia Samius reverà Creophylus fuit, de  
 quo

Quo nos dubitare non finit Suidas, cum ait, κρεώφυλος,  
 Ἀστυκλῆος, χιὸς ἢ Σάμιος, ἐποποιός: hoc est, Creophi-  
 lus, Astyclis filius, Cbius vel Samius, versificator; tūm quia  
 κρεοφύλος, per ο, pro κρεωφύλος, quod ω requirit, & hīc &  
 in altero pentametro pessimè scriptum est. Pro θεῖον  
 autem αἰοιδόν, reponere θεῖον Ὀμηρον. Quamquam & τὸ  
 αἰοιδόν ferri poterat. Porro, in secundo Hexametro  
 pro Ὀμήρου δὲ καλεῖμαι, ex Eustathio legendū Ὀμήρειον  
 δὲ καλεῖμαι. Ad extremum κρεοφύλος falsissimè scri-  
 bitur. Emendandum κρεωφύλω, ut sensus constet. I-  
 taque integrum Epigramma sic constituimus:

Τῷ Σαμίᾳ πόντος εἰμί, δόμῳ ποτὲ θεῖον Ὀμηρον  
 δεξαμένῃ: κλαίω δ' Ἐυρυτῷ ὅσσ' ἔπαθεν,  
 καὶ ξανθὴν Ἰολεῖαν. Ὀμήρειον δὲ καλεῖμαι  
 Γράμμα: κρεωφύλω, ζῆ φίλει, τῷτο μέγα:

Quod nos quidem tentabimus, utrum vertendo li-  
 ceat assequi:

*Sum Samij ipse labor, divum qui excepit Homerum:  
 Eurytus ad quantum pertulit, illacrimor,  
 Et flava Jolae: sed deputor inter Homeri  
 Scripta: Creophylo, Jupiter, hoc decori est.*

Exceperat hospitio quondam Homerum Creophylus.  
 Cui ille, ut xenium redderet, hanc concessit veniam,  
 ut quod de Oechaliae captivitate, πρὸς Οἰχαλίας ἀλώ-  
 σεις, condidisset Poema ipse Creophylus, ab Homero,  
 Poetarum celeberrimo, inscriberetur. Hoc sequen-  
 tum in Epigrammate Callimachum notat Eustathius.  
 Nam hoc pacto, ait, non Homero, sed ipsi sibi Creo-  
 philum nomen comparasse, quippe qui ad Homericæ  
 Poeseos leges exegerit, quæ scripsisset. Οὐ τὸν Ὀμηρον,  
 inquit, ἀλλ' ἑαυτὸν ἐπέμνησεν, ὡς δὴθεν Ὀμηρίζοντα. Sunt ta-  
 men, qui ipsius Homeri esse illam Οἰχαλίας ἀλωσιν, con-  
 firmant

B

firmant

8 firmant nobis, ac rem totam aliter narrant. De quo hic dicendi locus non est. Legi autem apud Eustathium possunt, & Suidam. Hoc potius observandum nobis, quod res est, & huc spectat proprie, notasse sibi Sextum Empiricum ex illo Callimachi carmine, quod emendavimus, τὸ γράμμα Callimacho pro poemate usurpatum. Porro autem, τὸ καλαλογάδην σύγγραμμα, hoc est, librū pedestri oratione perscriptum designare γράμμα, idem in illo ejusdem Callimachi observat:

Εἶπας, Ἥλιε χεῖρε, Κλεόμβροτος Ἀμβρακίωτις  
Ἦκαλ' ἀφ' ὑψηλῶν τεύχεσσι εἰς Αἶδην.

Ἄξιον εἶδέν ἰδὼν θανάτου τέλος: ἀλλὰ Πλάτωνος

Ἐν τῷ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος.

hoc est, Bonaventura Vulcanio Interprete:

*Phæbe vale, dixit, muroq; Cleombrotus alto*

*Ad styga præcipitem se Ambraciotæ dedit.*

*Morte nihil passus dignum: sed diæ Platonis*

*Quæ de animâ emisit perpete scripta legens.*

Ammonius autem in περὶ ὁμοίων καὶ διαφορῶν λέξεων libello, aliud insuper ex eodem Callimacho testimonium promittit: Καλλιμαχὸς πρὸς Φησιον, inquit,

Γράμματ' ὅσα εἴλησσαν ἀπόκρυφα

Et paulò post eum ait πολλά εἰδέναι γράμματ'α, non qui τὰ εἴκοσι τέσσαρα, hoc est, XXIV. clementa noverit, sed qui πολλῶν γραμμάτων sit ἔμπειρος. Ipse Eustathius etiam, Thessalonicensium Episcopus, antequam ad Rapsodiam ω. Odysseas Homericæ eadem illa de Callimacho transcripta affert, γράμμα etiam σύγγραμμα, hoc est, *librum* notare dicit, eumque literis eruditum atque Grammaticum esse, *qui multorum scriptorum sit gnarus.* Videndus & Etymologici magni auctor. Pari pacto *litera pro eruditione ac literaturâ* usurpatæ Ciceroni diversis locis. In Pisonem extat illud: *Sic non solum Phi-*

loso

9  
*lofophiâ , sed etiam literis est eruditus.* Idem tamen  
cum in Catone majore, & Libro IV. Academic. Quæ-  
stionum, *M. Catonem in senectute Græcas literas didi-*  
*cisse* scribit, in dubio relinquit, Græcam linguam de-  
mum inde usque â puerilibus rudimentis, an Græco-  
rum disciplinas intelligat? Utrumque enim literæ  
designant. Ac de disciplinis quidem ostensum. De  
primâ autem literaturâ, ad quam scriptio pertinet, te-  
statur notissima illa Neronis vox apud Suetonium &  
Senecam, *Vellem nescire literas.* Atqui arbitrantur non-  
nulli falsos esse, qui Ciceronianum illud ita accipi-  
ant, ut Catonem senem linguam Græcam didicisse,  
existiment. Per Græcas autem literas intelligendas  
omnino Græcorum disciplinas esse. Cui rei argumen-  
tum ex Plutarcho promunt, cuius sunt illa in Catone:  
*Παιδείας Ἑλληνικῆς ὀψιμαθῆς γενέσθαι λέγεσθαι, καὶ πόρρω*  
*παντάπασιν ἡλικίας ἑλλητικῶς ἑλληνικὰ βιβλία λαβῶν εἰς*  
*χεῖρας.* Ait, ad Græcam *παιδείαν* serò Catonem acces-  
sisse. Unde effici dicunt, disciplinis dedisse operam.  
Id enim designare *παιδείαν*, ex A. Gellio patet. Ille  
namque libro XIII. Atticarum notium, capite XV.  
*Qui verba Latina fecerunt, inquit, humanitatem appella-*  
*verunt id propemodum, quod Græci παιδείαν vocant: nos*  
*eruditionem institutionemq; in bonas artes dicimus.* Sed  
totum hoc, quicquid est rationis, quantum valeat, in  
conflictu dispiciemus. Nobis certè id minimè vide-  
tur ex Plutarcho clarere, & in medio potius remanere  
positum, ecquod Cicero intellectum velit? Neque e-  
nim nobis probatur ea ratio, aliquid definire, & tan-  
quam certum & exploratum velle statuere, de quo  
dubitari non insipienter possit, quodque plenum  
eruditæ sit hæsitationis. Quos si tamē dicenda sen-  
tentia est, videtur utrumque Cicero complexus.  
Quem sequutus Quintilianus est libro XII. Institut.

cap. XI. qui rudi seculo literas Græcas, atate jam declinata didicisse Catonem scribit, ut esset hominibus documento, ea quoque percipi posse, quæ senes concupissent. Apud Cornelium tamen Nepotem dubitari vix possit, Græcorum historias intellexerit, nec ne, cum cupidissimum literarum M. P. Catonem seniore jam ipsius Vitâ ostendit. Certè pro *historiis* alibi posuit *literarum* vocem elegantissimus Scriptor. Sed quid ad hæc & alia, quæ ex auctore illo perquam luculento liceat urgere, respondendum, per concertationem erit manifestum.

#### QUARTA.

Sed nec illi ferendi, qui Grammaticam artem, ut Quintilianus ait, tanquam tenuem ac jejunam cavillantur. Quæ tamen liberrimo & effreni cursu per omnem disciplinarum orbem vagatur. Ipsius Quintilianus verba ex libro I. Instit. cap. IV. apponam: *Grammatica non est satis legisse poetas, excutiendum omne scriptorum genus, non propter historias modò, sed verba, quæ frequenter jus ab auctoribus sumunt.* Et illa ejusdem: *Perfectus Grammaticus sine omnium disciplinarum cognitione fieri nemo potest.* Ac inde quidem enatum, quod Crates Mallotes, maximus Vir, quem primum in urbem Romam intulisse studium Grammatices scribit Suetonius, *omnem eruditionem ac scientiam in Critico requiri censet.* Criticus enim & ipse Grammaticus, ut alibi ostendemus. Nam cum Historias Poetarum ac aliorum scriptorum interpretari sit Grammatici munus; ut officio hoc rectè fungatur, suasq; expleat partes, excutienda ipsi omnis generis monumenta, & disciplinarum quoque auxilium advocandum. Sed quando ad artes ipsas ac disciplinas transit adèd Grammatica, numquid cum Philosophiâ confunditur fortè,  
ac,

ac, ut Philosophus ait, εἰς ἄλλο μεταβάλλει γένος? Minimè  
 verò. Petit enim sibi adminicula tantum ex Philoso-  
 phiâ Grammaticus, & ita se instituit ac comparat, qui  
 Philosophiam tangat quidem, sed perfunctoriè ac le-  
 viter, in primo ejus aditu hærens, & vix quid audens  
 ultrâ. Quod apud Athenæum libro IX. Dipnosophi-  
 starum elegantissimè Larenis convivator expressit.  
 Is cum in medium protulisset τέτρακτον vocabulum, ec-  
 quid illud esset ex convivis sciscitatus, extemploque  
 respondisset quispiam, εἶδος ὀρνέων, hoc est, avis genus,  
 εἶδος, pergit Larenis, γραμματικῶν παισὶ περὶ πάντων τῶν  
 παραβαλλομένων λέγει, εἶδος φυτῶν, εἶδος ὀρνέων, εἶδος λίθων.  
*Solent, inquit, Grammaticorum filii de omnibus, quæ inter-  
 rogantur, dicere, plantæ speciem esse, aut avis, aut lapidis.*  
 Nimirum duplicem indicat Larenis naturalium re-  
 rum cognitionem, leviolem alteram, quam sibi  
 Grammatici reservant; alteram solidam & perfectam,  
 ad quam Grammaticorum professio non aspirat,  
 quippe Philosophis relinquendam. De Pamprepio  
 Thebæo Ægyptio, inter Grammaticos allecto ab A-  
 theniensibus, eodemque præcipui nominis, idem ex  
 Suida licebit affirmare, quod de Grammaticis in u-  
 niversum Dipnosophista agebat. Nam & ipse adver-  
 sus omnes disputabat, ἀμιλλώμενος ἢν πρὸς ἅπαντας, in-  
 quit Suidas, solo excepto Proclo, & reliquis Philoso-  
 phis, cum horum σοφίας, sive sapientiam, ne attingere  
 quidem potuerit, & in Poeticâ potius ac Grammaticâ  
 substiterit, ut in Bibliothecâ suâ, præclaro illo opere,  
 Photius Constantinopolitanus Patriarcha asserit.  
 διεπονείτο, inquit, περὶ τὴν ἄλλην παραπαιδείαν, ὅσην ποιητικὴ τε καὶ  
 γραμματικὴ σοφίαι παιδεύουσι. Quocircâ cum à magno  
 Proclo, quò præceptore Pamprepio usus est, in omnibus  
 reconditæ sapientiæ partibus, ὅσα ἦν σοφώτερα, ut ipse

loquitur, nihilo tamen minus eruditum scribit idem ille Suidas, ad perfunctoriam institutionem, quæ Grammatico satis, malim interpretari. Verùm Grammatica quidem, an ἀλλότρια agat, & falcem in alienam immittat messem, dum & Philosophiam & quicquid usquam sacræ profanæque scientiæ est, tangit, in ipso Disputationis prælio pluribus erit dispiciendum. Quare ab istis temperamus nobis scientes.

### Q U I N T A.

Inter Grammatici virtutes à Quintiliano in primo Institutionum Oratoriarum libro, capite VIII. ponitur, *aliqua nescire*. Quod ita quidem accipit disertissimus vir, ut inanem operam eum ponere putet, qui a nihilibus Philologorū fabulis pellegendis sit occupatus, & bonas horas ejus generis impedimentis perdat. Cujusmodi illa sunt, quæ apud Suetonium leguntur Tiberio, *Quæ mater Hecuba? quod Achilli nomen inter virgines fuisset? quid Sirenes cantare sint solita?* Itemque in Philippi Epigrammate ista:

Εἰ κύνας εἶχες κύκλωψ; ἴνας ἔδραμεν ἠλιθιοὶ ὄμεις;  
καὶ τίνος ἦν Πρωτόσι; καὶ τίς ὁ Πυγμαλέων;

Et talia infinita propemodum, ut, *quid vocata sit mater Euryali? aut, utrum verum, quod Æneam aliquando Carthaginem venisse Poetâ dicat?* quod maximus Pater Augustinus in primo Confessionum Libro affert non modò, verum alibi miseratur etiam, familiarium causâ, *qui si non responderint, inscitia, ut ipse ait, accusarentur.* Ex omni Grammaticorum numero nemo plura Didymo scripsit. Nam edidisse cl. cl. cl. l. libros & inde βιβλιολάθρα esse cognominatum, quod suorum scriptorum sæpè non meminisset, item χαλκέντερον, quasi *Aenoventrum* dicas, qualem rectè ac conveni-



13  
venienter Origenem, cujus incredibiles vigiliae sex  
millia librorum pepererunt, appellari posse, Critico-  
rum apex, Isaacus Casaubonus arbitratur, Suidas & A-  
thenæus tradunt. Eundem tamen Didymum, dum tot  
libros scriberet, non pauciora supervacua condidisse,  
*que dediscenda erant, si scires*, tum Seneca Epistolâ  
LXXXVIII. queritur, tum addit eo quem indicavimus  
loco Quintilianus, *accidisse, ut cum historia cuidam tan-  
quam vana repugnaret Didymus, ipsius proferretur liber, qui  
eam contineret.* Ac ut compendii faciam rem, ut ar-  
tium parentes Græci sunt, sic fabularum nugarumq; a-  
matores habemus. Nec eos Grammaticos tantum,  
sed & Philosophos quoque. Aliter Zeno nunquam  
tam lepidè nepotatus fuisset, ut inter reliqua exempla  
vanissimarum quæstionum tractaret illam quoque, quam  
affert Athenæus, *πῶς τὰς Ἰπικύσεις χερσέον, quomodo trul-  
lis vinariis sit utendum?* Cæterum ignorare quædam  
Grammaticum debere ad virtutem Grammatici, &  
nos aliâ in super ratione censemus. Atqui, cum infi-  
nita idem labore scire, & apicularum in morem artes  
omnes involet, ut præcedente Observatione demon-  
stravimus; ecquâ ratione tamen nesciet, quæ oportet  
bat scire? Sciet is sua, & ad se pertinentia omnia. Et  
cum plura poterat, ac majora etiam, abstinet de indu-  
striâ tamen nonnunquam, ne partes excedat. Quare  
ad virtutem in ipso interpretandum, dum hoc tempe-  
rumentum sequitur. Nam cum se egreditur, & altio-  
ra, quàm capiat Grammaticus, affert, non jam Gram-  
maticus amplius, sed aut perfectus *πολυμαθής* qui-  
dam, aut Philosophus certè salutandus est. Illius  
exemplum absolutissimum ex omni antiquitate  
Erato-

14 Eratosthenem Strabo primo Geographiæ libro trans-  
misit, etsi alibi & Philosophum insignem prodat: hu-  
jus Plato extat, Socrates, reliqui. Utrumque par re-  
rum naturæ ingenium Aristoteles & præstitit, & unus  
absolvit propè. Quanquam quædam etiam per li-  
terarum conditionem ignorabit Grammaticus, quo-  
rum scilicet parca in auctoribus mentio, ut hariolari  
ne possis quidem, quid velint sibi, quæ excutere la-  
bores, quippè, quæ semel, aut non multò sapius no-  
minata per omnem vetustatem offendas. Magna i-  
taque virtus in talibus etiam, ignorationis confessio.  
Qualis illa est ingenui pudoris plena, doctissimi E-  
bræorum Rabbinus & sapientissimi Viri (ita enim cum  
incomparabili Casaubono appellare Judæum morta-  
lem non pudebit) Aben Ezra: scribentis in secun-  
dum Mosaicæ Geneseos caput, ubi vocem החוילה  
exequitur, de nominibus fluviorum, item familiarum, regi-  
onum, bestiarum, avium, nec non lapillorum, non posse  
cuiquã constare, nisi quis, ait, in somnis viderit, καὶ ἐναε-  
χρηματισθεῖς. Ipsa ejus verba non pigrabimur ascribere:

ואין ראיה על פישון שהוא היאור רק שתרג' החוילה  
כפי צרכו כי אין לו קבלה וכן עשה במשפחות  
ובמדינות ובחיות ובעופות ובאבנים אולי בחלום  
ראו:

F I N I S.

01 A 6640

ULB Halle 3  
003 108 309



Sb.

VD 17







11. *12*  
ATIONUM,  
Græcam litera-  
spectant,  
AS UNA;  
*publicæ Disputationi*  
*à*  
FRICO OSTER-  
Liter: Prof. Publico,  
ESIDE,  
&  
NE MEISNERO,  
Torgensi,  
CONDENTE.  
*cum bono DEO*  
TENBERGÆ  
*ditorio Majori*  
*23. Decembr.*  
A.  
DC XL.  
phicâ MICHAELIS Wendt.